



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis**

**Musart, Charles**

**Monachii, 1654**

I. Quoties Parochus teneatur sacrificare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**

tuis eiusmodi dispensationibus ne imponas in tuum lucrum; sordidum hoc est: faciliùs ferrem, si in aliquod opus pium sumptus moderatos pro personæ, & rei conditione iniungas, nec tamen recipies ad manum; sed alteri viro bono committes, ne in suspensionem auaritiæ venias. Quanquam author essem potiùs, si quid in locis, præsertim vbi ea præcepta minùs seruantur, exigendum sit pro præcepto opere, preces aliquas, aut pia opera alia, quàm pecuniam exigas, vt libertati saltem frœnum aliquod iniiciatur.

**C A P V T IV.**

Institutiones & industriæ circa Sacrificium, & Sacramentum Eucharistiæ.

**S E C T I O I.**

Circa Sacrificium.

**N V M: I.**

*De obligatione ad Sacrificandum.*

**G 5****Sic**



Sic vitam institue, vt quotidie Missam celebrare possis; teneris sanè sapiùs, quàm alii, Dominicis saltem, & festis diebus, quibus parochiani audire obligantur: itaque per alium providebis, si ipse sacrificare non poteris: imò etiam aliis quibusdam diebus Missam facies, si fundationes id requirere, vel ex tabulis Ecclesiæ, vel aliunde cognoueris; præterea toties, quoties mos benedicendi in nuptiis, aut sepeliendi mortuum id ab officio postulat. Horam Missæ ordinariam, præsertim diebus Dominicis, & Festis, ne facile immutes, nisi præmonito populo; alioquin oriuntur turbationes, & iustæ nonnunquam querelæ.

Antequam accedas ad Altare, si conscius sis tibi peccati mortalis, quantumcunque tibi contritus videaris, priùs confitere, ex Tridentino præcepto, si adsit copia confessarii, id est, si habere, aut adire sine graui incommodo possis: alioqui si necessitas vrget,  
 conte-



conteraris saltem; & deinde quàm primum confitearis.

## NVM: II.

*Pro quo Parochus debeat offerre Sacrificium?*

**T**Ridentinum sess. 23. de reform. cap. 1. docet, eos, quibus cura animarum commissa est, teneri pro suis ouibus Sacrificium offerre. Quare, ut minimùm in Sacrificio orare pro tuo grege memineris, præsertim cum necessitates tum priuatæ, tum publicæ exigunt. Præterea si titulus fundationis beneficii tui singulares Missas ad intentionem fundatorum postulet, fideliter exsolues, præsertim si fructus sint opimi, & huic oneri pares. Pro reliquis Missis, quæ tibi liberæ sunt, accipere poteris stipendium, lege vel consuetudine iustum: caue hinc tamen sordiciem; qualis est non nullorum, qui cum stipendium consu- maius à liberali donatore accep-